



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 57. Plebeja Francofordiensium seditio continuata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

ta egressi, supplices pro urbe & civibus Sæc. XVII.
deprecarentur. Nec spreta fuit hæc A. C. 1614.
submissio; quippe pactis utrinque initis
Ambrosius Spinola cunctos de Cæsaris
gratia certiores reddebat, qua obtenta
cives tradita urbe Brandeburgenses
præfidiarios die vigesima quarta Au-
gusti dimisere, introductis duodecim
Cæsareis vexillis. Postea occlusis om-
nibus portis, & abrogato spurio Pro-
testantium Senatu, legitimus Roma-
no-Catholicus in pristinum restitueba-
tur, qui etiam die vigesima octava Au-
gusti primum habuit Curixæ confessum,
militibus quibusdam utpote præcipuis
turbarum authoribus in custodiam ab-
ductis, ac Matthia Smeetsio & Antonio
Nigro capite plexis. Eo tandem re-
medio quies Urbi, & Catholicæ Reli-
gioni libertas tum obtigit, quæ postea
complures in annos prospere perdu-
ravit.

§. LVII.

*Plebeia Francofordiensium seditio con-
tinuata.*

Majori adhuc ferocia in Senatum suum Sleid. Rediv.
Francofordiæ cives debachari per- l. 19. p. 1345.
gebant; ipsa enim temporis mora, aliis Merc. Gall.
que super alios in colluviem suam per- tom. 10. l. 2.
tractis seditiosi numero, audacia, vi- Janson.
rium- Contin.
pag. 464.

Sæc. XVII. riumque fiducia tantopere crescebant,
 A.C. 1614. ut Magistratui, qui inquietis terrori
 esse debuisset, jam inciperent esse formidini; licet enim biennio abhinc Senatam inter & cives quædam transactionis capita fuissent inita, inde tamen præcipue circa rationes accepti & expensi a Senatu reddendas novæ excitabantur turbæ: unde die quinta Maij, cives magno numero confluentes Senatam in Curia sedentem, oclusis prius auctoritate privata portis urbis dein & Curia, postulatis primum impudentibus adoriuntur, postea eorum importunitati cedere renuentem per aliquos dies conclusum detinent, minisque atrocibus, omnique malorum genere intentato tamdiu perurgere ac premere pergunt, donec die nona Maij veteres Senatores vitam fortunasque suas Magistratus abdicatione redimere cogentur, palam tamen professi, quod inviti ac contra jus gentium, indicta causa, per vim pristina dignitate dejecti essent. Remanserunt adhuc in Senatu octodecim nuper Veteribus adjuncti, qui cum Mercatores a frequentandis proximis nundinis hoc tumultu absterreri vererentur, promulgato edicto eosdem de plena securitate ipsis præstanda certos reddebant: Evolutis autem aliquot septimanis Matthias Cæsar

far per facialem civibus, intentata pro-
 Sæc. XVII.
 A. C. 1614.
 scriptiois pœna, præcipi iussit, ut re-
 pressis ejusmodi motibus in reos exacte
 inquirerent, pro culpæ meritis plecten-
 dos, simulque Senatum injuste deje-
 ctum quam celerrime restituerent.
 Constituebantur Cæsarei hujus man-
 dati executores Elector Moguntinus,
 & Hassiæ Landgravius, qui tamen nec
 monitis nec minis quicquam proficere
 poterant apud obstinatos hosce, qui ex
 ipsa Cæsaris clementia novam tumul-
 tuandi ansam quærebant; cum enim
 Imperator declarasset, quod in rebel-
 lionis auctores, ni cæptis abstinerent,
 legum severitate animadversurus, mo-
 rigeris vero *ac ipsis quoque Judæis* præ-
 sidium & favorem præstiturus esset, ea
 ipsa promissio civium contumaciam er-
 ga Cæsarem, invidiamque in hebræos
 eo vehementius accendit, nec quicquam
 illos dehortantibus Moguntini, ac Has-
 siani Principum legatis, qui die vige-
 sima secunda Augusti, cunctos juvenes,
 qui seditiosis civibus famulabantur, ad
 se accersitos monebant, ut suos Domi-
 nos, necnon opificum tabernas pro vi-
 tando periculo desererent, alioque in-
 terim migrarent. Sed his monitis tan-
 tum abfuit, ut exacte obtemperarent
 hi solutissimæ licentiæ juvenes, quin vel
 suoapte furore, vel a factiosis impulsu ad
 Y 5 vespe-

Sæc. XVII. vesperam turmatim confluerent, ac
 A. C. 1614. converso in Judæorum plateam impetu
 portam faxis, ferro, securibus ac do-
 labris infringere niterentur. Non sibi
 defuere Judæi, vim vi, arma armis re-
 pellentes; ast aucto furentium nume-
 ro, quidam brachio, alii aure aut o-
 culo mutilabantur, duobus omnino
 trucidatis, demum ædibus perfractis
 integra nox prædationibus, & miseræ
 gentis vexatione infumebatur, donec
 orto sole civibus in opem concurrenti-
 bus incomposita hæc turba dissiparetur;
 postea Judæi, ut graviori periculo
 vitam subducerent, ejusdem adhuc
 diei, qui vicesimus tertius Augusti fuit,
 hora post meridiem prima numero mil-
 le quadringenti, pars navibus, aliilem-
 bis, cymbisque recepti, multi sursum,
 plerique secundo flumine Mæno deor-
 sum navigarunt, asportatis secum, quæ
 furor intacta servabat, suppellectilis suæ
 reliquiis. Tandem Magistratus, ut
 suæ consuleret securitati, edicto publico
 promulgari jussit, quod omnibus opifi-
 cum famulis, & Ministris pristina liber-
 tas, atque immunitas restituta sit, hi-
 que omnibus in locis pro honestis ado-
 lescentibus habeantur: veteribus quo-
 que Senatoribus, cum urbem tuto re-
 petere non possent, interim honesti qui-
 dam cives suffecti sunt, quibus etiam
 reliqui

reliqui cives fidei sacramentum dixere, Sæc. XVII.
A. C. 1614.
initio quidem reclamantibus Legatis,
qui tamen pro declinando vitæ periculo ad ejusmodi machinationes connivere compellebantur.

§. LVIII.

Præcipui seditionis authores Cæsaris mandato proscripti.

Nihilominus hæ turbæ nec Legatorum indulgentia, nec pœnarum comminatione adhuc extingui poterant, seditionis quibusdam civibus nova identidem molientibus: hos inter præcipui erant Vincentius Fettmilchus Dulciarius Pistor, Conradus Schoppius Sartor, & Conradus Gerngrossus arcularius. Hi erant velut Triumviri ad res in deteriorem statum præcipitandas a seipsis delecti. Sed inter hos Vincentius velut Dictator dominabatur; ad eum enim sese adjunxerant, inquietissimi quique cives, & advenarum quoque non pauci: Hic ea, quæ hucusque egisset, Authore ipsa civitate, se fecisse jactitabat, ejusque rei, cum eam, quæ tum præsens adstabat, civium multitudinem in testimonium vocaret, omnes insanis vocibus acclamabant, se testes fieri: quoniam vero tot civium flagitia, ac ipsorummet Legatorum vilipensio

*Merc. Gall.
tom. II. l. I.*